

sinuato, tenuissime marginato, lateribus totis sat late reflexis, ante angulos posticos sinuatis, margine acutis, angulis posticis late rotundatis, margine postico supra scutellum truncato medio subprominulo, disco versus apicem leviter declivi, callis medio sat late distantibus; hemielytris tenuiter breviter nigro-pubescentibus; alis areola hamo fere ab origine venae decurrentis emisso; femoribus posticis (♀) linearibus reliquis paullo crassioribus, tibiis nigro-spinulosis, tarsis articulo tertio secundo parum longiore, ungviculis sat longis, sat leviter arcuatis, aroliis medium ungviculorum sat longe superantibus cum iis totis connexis.

A generibus omnibus lateribus pronoti totis reflexis margine acutis distinctus. Generi *Oncotylus* Fieb., Reut. forsitan maxime affinis, ab hoc tamen etiam capite fere porrecto clypeoque late promenente fortius arcuato divergens. Caput (♀) ab antico visum latitudini basali longitudine subaequale. Oculi (♀) ultra angulos anticos pronoti leviter prominentes, orbita interiore subrecta versus apicem leviter divergentes, in genas modice extensi. Antennae articulo secundo lineari. Scutellum basi detectum. Hemielytra (♀) abdomen sat longe superantia. Xyphus prosterni marginatus. Mesosternum apicem versus altius. Metastethium orificiis minutis. Coxae anticae breves, medium mesosterni attingentes. Pedes brevissime et tenuissime nigro-pubescentes. Terebra feminae medium ventris longe superans.

### Pleuroxonotus nasutus Reut.

Inferne cum capite virescens, pronoto, scutello, hemielytris, antennis pedibusque virescenti-albidis, antennis apicem versus testaceis, tarsis sordidis articulo ultimo apice cum ungviculis nigris; hemielytris margine scutellari commissuraque tenuissime fuscis, corio vitta interiore obsolete fuscescente, membrana albido-hyalina, iridescente, areola minore tota, parte exteriori majoris ad venam cubitalem limboque exteriori late obscure fuscis, hoc macula angusta hyalina inter apicem cunei et areolam minorem; meso- et metastethiis infuscatis. Long. ♀ 6 mm.